



HIERONYMI CARDANI, MEDICI,

De temporum & Motuum Erraticarum restitutione.

CAPVT I.

De motu Solis communi, & anno.



NVM primi inueniunt Thebæi Ægypti populi alia ratione, quam ante diluuium ab Hebræis prius fuisset obseruatus: nam Lunaribus annis ille fuerat. Verum apud Græcos, Thales

Mileſius, è ſeptem ſapientibus vnus, ipſum promulgauit. Eudoxus & Hipparchus rationem Ægyptiorum ſecuti, primi propinquum reuolutionis Solis tempus ſtatuerunt: quos inter Latinos, C. Iulius Cæſar ante alios adimante Soligene Aſtrólogo imitatus eſt, annum conſtituens dierum 365, & horarum 6. vnde cum in quatuor annis 24. horæ colligerentur, ſingulis annis quatuor vnus excreuit dies, quem poſt 24. Februarij collocauerant, eumque annum qui diem illum ſuſceperet, Biſextilem appellauerunt. Vnde factum eſt, vt cum anni tres primi, horis in quartum annum deductis, dies tantum 365. poſſiderent, ſolus quartus 366. habuerit dies.

Fuit autem annus triplex: nam alij annum reuerſionem Solis ad eandem fixam ſtellam nuncupauerunt, veluti Thebith Benchorat filius Choræ. Alij reuerſionem Solis ad eandem æquinoctij, aut tropici punctum exiſtimant, veluti Ptolemæus. Recentiores autem annum appellauerunt, & verius, Solis reſtitutionem ad eundem punctum eclipticæ fixæ, tam in longitudine, quam in latitudine, per arcum orbis magni, à poliſ eclipticæ fixæ ductum in centrum Solis, atque in eundem punctum in quo prius Sol fuerat terminatum: nullam ex hoc ſtatuentes diffe-

Tom. V.

rentiam, quod Sol ſub mobili eclipticâ delatus à fixa, modò in borealem, modò in australem partem declinet: atque hoc modo Alphoſus & Monte regius anni initium ſtatuerunt.

Mouetur enim Sol tribus motibus. Vno quidem ex orbe toto ab Oriente in Occidentem, in horis 24. ſuper mundi poliſ. Alio autem ab Occidente in Orientem, ſuper eclipticæ mobilibus poliſ, vt Alphoſo in 49000. annorum, quod longiſſimum tempus eſt: aut in 4056. annis, 330. diebus 46. min. 50. ſec. quod breuiſſimum, vt Thebith: aliis autem in 1300. vt Ciceroni: aliis in 36000. annorum, vt Platoni, circuitum perfici placuit: quo motu cum ex orbe etiam toto fiat, non ſolum abſis ad diuerſa loca progreditur, aut retrocedit, verum eclipticâ mobilis alios atque alios angulos cum æquinoctij orbe facit: nec verum eſt, ſolos abſidem deferentes, vt plurimi exiſtimant, ſic moueri. Vltimo vero, ex eccentrico orbe aut ſphærule ita ab occidente, ſub mora eclipticæ deferuntur ad orientem, vt in diebus 365. horis 6. minus quadam portiuncula temporis reuertatur. Non ſolum autem totus Solis orbis ſub eclipticæ motu ab Occidente reuertitur in Orientem, ſed & vniuerſa cœlorum machina, non minus tardiſſime ſimul ad Orientem retrocedit, quam velociſſime feratur ad Occalum: vnde cum hunc motum in orbem Planetarum & Lunæ omnes neglexerint, ſue ob paruitatem, ſue ob inertiam, cauſam dedit, vt in temporis magnitudine non diſſimulandus error aë vix inexplicabilis conſiſteret. Nam cum Sol cæterique Planetæ, eandem ad mobilem eclipticam perpetuò ferent habitudinem, manifeſtum eſt eos neceſſariò illius motu moueri: atque non tantum abſidum delatores, quinimò cum totus orbis Planetarum ſimul moueantur, orbis abſidum delatores

A paties

potius imaginarios esse, quam re vera sic posse appellari.

CAPVT II.

De motu Solis, Thebith & Ptolemæi.

Videtur autem Thebith opinio veritati repugnare, nam spica virginis, qua Ptolemæi tempore declinabat ab æquinoctiali meridie versus, partibus nullis, minutis 31. nunc recessit ad eandem regionem partibus octo, minutis 25. quare in 1404. annis declinationem auxit partibus 7. m. 54. Dimiciens autem circuli parui, secundum Thebith, partium est octo, minutiarum 17. secundum Ptolemæi 26. Igitur cum 1404. anni sint parum plus tertia parte de 4056. oportuit tantum circiter 130. partibus caput arietis deferri in circulo paruo: quare non potest hæc differentia implere partes 8. ferme circuli magni. Lunæ etiam locus declarat stellas ab æquinoctiali plus quinque partibus recessisse, vt ex tabula declinationum apparet. Quare constat, tum ex planisphærio, tum ex aliorum Planetarum motu, stellas moueri per maiorem differentiam, quam sint partes quinque.

Ptolemæus autem existimat motum Solis in anno fieri, in diebus 365. hor. 5. min. 55. secundum. ita quod in annis 300. dies vna intercalanda sit a bisextili, locoque dierum 75. qui in 300. annis superadduntur, 74. tantum super augendos existimat: minutia enim quatuor, & secundum. 48. in 300. multiplicata, diem vnum producunt. Verum hæc mensura anni, obseruationibus (vt infra dicitur) non conuenit, & velociorem statuit motum fixis stellis quam deceat, & anni initium non ex capite arietis, quod ex tertia ratione fuit, sed ex æquinoctio sumpsit, & motum in augere negat: quamobrem his quatuor causis ab anni vera quantitate recedit.

Albategnius autem annum statuit dierum 365. horarum 5. min. 45. secundum. 36. ita vt in annis 100. cum bisexti fiant 25. erunt tantum 24. admitrendi, detracta vna die: centies enim min. 14. secundum. 24. diem vnum conficiunt. Sed hæc ratio cum stellarum motum in 100. annis statuat, nec regressum octauæ orbis intellexerit, à vera mensura aberrat: nam cum 360. diebus, quæ 6. secundum. notantur, min. 3. secundum. 2. ter. 18. quar. 54. respondeant ex parui circuli motu, atque ea causa æquationis secundum. 28. ter. 30. Eodem autem tempore motus in nona, sit secundum. 26. ter. 4. constat retrocedere spheram octauam in anno secundum. 2. ter. 26. pedum vt antecedit: cumque hoc 875. annis perseverare possit, quibus dimidia ferè vna pars peragratur, conuenit vt eo tempore stare quasi videatur. Vnde hæc positio à Thebith multum differt, in qua non solum stationem, sed & manifestam & amplam retrogradationem apparere necessarium esset.

Thebith autem annum statuerat dierum 365. horarum 6. minutiarum 9. secundarum 22. quem Campanus sequutus videtur. Sed

cum reuersionem Solis ad stellam, non ad arietis initium supponat, & motum stellarum male accipiat, fidem nullam apud posteros promeruit.

Azrael autem tabularum Alphonsi auctor, Purbachius, Monteregius, & ephemeridum conditores, annum statuant reuersionemque Solis diebus 365. horis 5. minutis 49. secundum. 15. ter. 58. quar. 51. quin. 12. verumtamen in tabula reuolutionum annorum, loco tert. 58. quar. 51. quin. 12. suppositi sunt tert. 43. quar. 42. vnde erroris non nihil admissum videtur, cum tempus à tempore differat ter. 15. quar. 9. quam suspicionem inferius diluemus. Hac anni igitur constitutione, in 136. annis supersunt horæ 24. m. 19. se. 46. ter. 36. quar. 24. vnde in 136. annis, vno prætermisso bisexto, atque in 9928. loco 73. bisextorum dimittendorum altero superaddito, vt fiant 74. bisexti non numerandi, erit cursus Solis in hoc tempore emendatus: nam quæ relinquitur differentia min. 3. secundum. 42. ter. 17. quar. 12. tantum implet, quæ vt diem perficiant omnem memoriam excedunt, vt pote 3871920. annorum.

Vt igitur faciliorem aditum ad sequentia habeamus, scire operæ precium est, hos qui sic motus distinxerunt, in octauo orbe triplicem motum statuisse. Vnum quidem ab oriente in Occidentem in 24. horis super mundi polis. Alium vero ab Occidente in Orientem in annis 49000. super polis eclipticæ immobilibus quo fit, vt vna pars perficiatur in annis 136. Vltimum autem, quem quidam Trepidationis appellant, licet hoc nomen motui Thebith potius tribuatur, in 7000. annorum perficit, circumuoluens se ad periferiam circuli, cuius dimiciens ex orbe magno partes 18. continet. Quæ causa, & Solis maximas ab æquinoctij orbe differentias variari necesse est, & magnam in velocitate & tarditate motus stellarum differentiam apparere. Hos duos complices motus tanquam vnum imitantur planetæ omnes, totis orbibus, non secus ac diurnam, prout superius explicauimus.

His suppositis, ne forte temerè confusio nem in motu Solis Azraeli quiskquam accidisse existimet, ratio reddenda est, cur reuolutionum annorum tabella cum Solis medio motu non concordat. Nam errorem haudquaquam censuimus Impressorum, siquidem in tabula reuolutionis ascendentium annorum scriptum offendi gra. 87. minur. 18. secundum. 55. ter. 55. Cum igitur hoc diuiseris per 15. (nam tot partes singulis horis ex æquatore exoriuntur) prodibunt horæ 5. min. 49. secundum. 15. ter. 43. Ea igitur causa est, vt differentia illa intercesserit, quod cum motus in anno octauæ orbis à motu noui, tempore Alphonsi differet minutis secundis 13. ter. 6. quar. 17. quin. 8. sex. 34. in futuram autem adhuc longe minus visum est, cum non posset ad certam quantitatem motum absidis & eclipticæ statuere, mediam quandam viam comminisci, ac velociorem quam pro motu Solis reuersionem anni, tardiorè tamen quam aliquando sit futura describere, vt sic non omnino ab euentu discordare videretur: in mentibus autem, cum modicam vnius tantum

rum anni differentiam dividant, non existimavit opportunum fore à Solis cursu discedere.

CAPVT III.

De obseruationibus Ptolemai, temporibus Adriani & Antonini.

Inuenimus autem duas diligentiores à Ptolemæo obseruationes factas, ingressus Solis in primum æquinoctij punctum autumnalem: quarum prima 8. cap. lib. 3. sic describitur. Exquisitissimam fecimus anno decimosextimo Adriani, septimo die mensis Athus obseruationem, horis duabus æqualibus post meridiem, ingressus Solis in punctum autumnalis æquinoctij: à Nabuchodonosori coronatione annis 879. diebus 66. horis 2. ab Alexandri autem morte annis 455. diebus 66. horis 2. ab Octauij vero principatu annis 161. diebus horisque iisdem. Secunda autem obseruatio, in capite secundo libri ipsius, sic describitur: Tertio Antonini anno, nona die mensis Athir, hora vna post Solis ortum, vidimus solem in primo autumnalis æquinoctij puncto, fuitque hic annus ab Alexandri morte 463.

Primum igitur, quales annos illos intelligat, sic demonstrabimus. Nam cum differentia motus Solis à Nabuchodonosore ad primam obseruationem sit partium 211. minutiarum 25. quam in 879. annis, diebus 66. horis 2. constatat posuit: motus autem in anno describitur à Ptolemæo partium 359. minut. 45. secund. 24. ter. 45. quar. 21. quin. 8. sex. 35. vt annus dies complectitur 365. Ducto autem hoc motu in 879. additæque superatione dierum 66. hor. 2. constatur vltra reuolutiones 878. partes 211. minut. 25. relinquatur igitur annos illos fore absque dubio omnes Ægyptios, dierum 365. præcise, & sine bifexto, cum eandem motus differentiam Ptolemæus ipse posuerit idem apertam ex tabulis motuum cœlestium ipsius: etiam demonstrari posset. Cum igitur hi 879. anni constent ex 424. qui sunt inter Nabuchodonosori regnum & Alexandri mortem: itemque ex 294. qui inter Octauium & Alexandrum fuerunt: atque ex 161. qui fuerunt ab Augusto ad 17. Adriani annum. Constabit igitur annos hos omnes inter medios fuisse Ægyptios.

Cum vero radix temporis regni Nabuchodonosori à Ptolemæo posita, superiores tres Planetas, eodem fermè loco constituat, quo & Alphonfus, sequitur eodem anno ab ambobus fore constitutam. Cum autem Solis locus non plus differat partibus tribus in vno alteroque, constat differentiam temporum dies tres excedere non posse: at cum feria in vtroque sit eadem, satis manifestum est, radicem coronationis Nabuchodonosori ab Alphonso descriptam, eandem esse penitus quæ à Ptolemæo prius fuerat constituta.

Nec obiter illud à me videbitur præterendum, quoniam cum Alphonfus ferias ad

Tom. V.

vulgarem vsum constituisset (porro dies currentes non à meridie computantur: radices autem à meridie, tanquam diei initio sunt constitutæ) Ea causa coactus canonem constituit, vt dies quærenda in introitu tabularum non admitteretur: nam cum Ægyptios annos 879. dies 66. in Romanos annos quibus nos vtamur verterimus, sicut anni 878. dies 212. Anni autem à Christo ad Nabuchodonosorem sunt 746. dies 310. ex quibus sequitur Nabuchodonosorem coronatum fuisse die vigesimaquarta Februarij, anni 747. ante Christum currentis, quæ dies vulgariter Martis erat in meridie, siue prima mensis Thoth inchoantis: sic enim in feriis intelligimus. In astrorum autem supputandis motibus exactos dies accipimus, detractis etiam annis 746. diebus 310. ex annis 878. diebus 2. 2. relinquuntur anni 131. dies 267. Igitur cum annus ille foret bifextilis, si quidem fuit centesimus trigessimus secundus currens à Christo, sequitur inita per menses computatione, vt hic introitus in vigesimumquartum diem Septembris statueretur. Ex quo non latet error manifestus Stœphlerini, qui bifextum non animaduertens, in vigesimanquintam Septembris diem considerationem hanc retulit.

Ex hoc constat, cum centesimus trigessimus secundus à Christo annus fuerit Adriani decimosextimus, Adrianum non anno salutis 119. regnare cœpisse, vt existimat Ioannes Lucidus, sed anno 116. iuxta anni initium: nam sic tempore obseruationis decimosextimus imperij annus agebatur.

Porro secundam obseruationem posuit, tertio Antonini anno, quadringensimo sexagesimotertio autem ab Alexandri morte. Vnde cum prior eodem tempore 455. annos acceperit, sequitur vt hæc à præcedente annis præcise Solaribus octo, non Ægyptiis distet, eademque die apud Latinos, videlicet vigesima quarta Septembris: erat autem nona mensis Athus, quia ex Ægyptiis annis cum fluxissent octo, necesse erat vt mensis initium per duos dies ante sumeret, quibus bifextiles anni duo intercepi, Ægyptiis superabundabant. Quamobrem hanc obseruationem anno centesimo quadragesimo salutis currente factam fuisse liquet: cumque foret tertius hic annus Antonini, erit vt necessario Antoninus, vel in fine anni 137. aut in initio 138. salutis regnare cœperit. Constat enim ex obseruatione 3. cap. libri quinti, non potuisse plus 38. diebus post initium anni 138. salutis, initium sumpsisse impegium Antonini: nam septima Februarij 138. anni, erat iam secundus Antonini annus.

Quare errauit Albategnius, ac Ioan. Lucidus cum eo, qui obseruationem hanc 142. anno salutis factam existimarunt: ac etiam Antoninum regnare cœpisse in anno 140. cum fuerit initium impejij in fine anni 137. aut in initio anni 138. obseruatioque anno 140. currente.

Ex his manifestum est, Alexandrum mortuum fuisse anno ante Christum currente

324. die 11. mensis Nonembris. Octavianum autem regnare cœpisse annis ante Christum 30. agente, die 30. mensis Augusti. Quare Chronographi non parum errant, cum Alexandrum annis 323. mortuum fuisse tradant: mortuus est enim anno 324. Initium autem imperij Octavij ad annos 42. ante Christum transferunt: nam licet duodecim annis in triumviratu fuerit, non tamen sumendum tunc imperij initium, sed & sic in vno anno errant, cum non trigesimo, sed vigesimonono stantur initium principatus atque cum 12. fuerint anni, quibus cum aliis regnavit, Monarchiam in 16. annum imperij impudentissime transferunt. Ptolemæus autem, cum Ægyptius esset, non Romanorum decretum, sed Alexandria captivitatem observavit: quæ cum 12. anno facta fuerit, Romanum imperium in decimumquartum annum, non in decimum sextum transfert.

CAPVT IV.

De vera anni longitudine.

His visis, non erit difficile ex prima & secunda observatione veritatem motus Solis indagari: hoc vnum supponentes, observationes illas, quantum ad horas non fuisse exactas, verum tantum inveniendi cursus Solis gratia, in longiore tempore quæstas: non enim ex opinione nostra fieri potuit, multo autem minus Ptolemæi, ut intra 8. annorum spacium secunda observatio primam horis septem præcessisset. Hoc igitur sublato errore, capiamus Solis ingressum priorem, quem omni diligentia considerasse affirmavit, in autumnale æquinoctium, die 24. Septembris. Vnde cum tunc in 5. gra. geminorum abis Solis esset, atque ea causa vernale æquinoctium diebus 187. autumnale præcederet, necesse erat ut vernale æquinoctium 21. Martij, horis 2. post meridiem fuisset. Anno autem 1536. æquinoctium vernale Tubingæ gymnasio Ger-

mania, 10. Martij in meridian a hora exacte fuit: nam quod ponitur min. 6. secun. 8. ante, incomprehensibile est. Igitur in annis 1404. antecessit æquinoctium vernale diebus 11. hor. 0. mi. 32. Nam cum Alexandria sit orientior Tubinga ho. 1. mi. 28. distat enim partibus 22. sequitur ut æquinoctium vernale Alexandria in anno 1536. sit die 10. Martij, ho. 1. mi. 28. à meridie: quare dies 11. ho. 0. mi. 32. inter hoc & illud æquinoctium intercesserunt. Cum igitur diuiserimus horas dierum 11. quæ sunt 264. minutias 32. in part. 1404. exhibit anticipatio detrahenda ex horis sex, annis singulis min. 11. secun. 18. ter. 17. quar. 26. quin. 9. sex. 50. Verum quia volui exponere min. 2. secun. 52. differentia, fiet pars detrahenda mi. 11. secun. 18. ter. 12. quar. 21. quin. 16. sex. 50. Quare erit anni longitudo dies 365. horæ 5. mi. 48. secun. 41. ter. 47. quar. 38. quin. 43. sex. 10. quare ascendunt vltra circuitus perfectos in æquinoctiali partes 87. mi. 10. sec. 26. ter. 54. quar. 40. quin. 48.

CAPVT V.

De tabulis reuolutionum, & ascendentium annorum, & earum vsu.

Fuit igitur differentia anni Alphonfi à vero. min. 0. sec. 34. ter. 11. quar. 11. quin. 29. Quæ licet videatur insensibilis, in reuolutionibus tamen errorem maximum, cum quatuor transsit annos, parere potest: nam & ascendentium differentia singulis annis est pars 0. min. 8. secun. 32. ter. 48. quar. 7. In his omnibus cum noster annus sit anno Alphonfi minor, necessarium est in quatuor annis differentiam 34. minutiarum ex æquinoctiali iniercedere, cum quibus pars integra ex Zodiaco in nostra regione oritur, iuxta arietis initium ac finem piscium. Cum igitur has differentias iunxerimus, consurgunt tabulæ duæ: quarum altera est reuolutionum annorum, altera ascendentium annorum,

Caput V.

Tabula reuolutionum annorum.

Tabula ascendensium annorum.

		D.	ho.	mi.	sec.	Par.		
						mi.	secun.	
1	P. B.	A o	5	48	41	1	87	10 26
2		A o	11	37	23	2	174	20 53
3		M o	6	33	54	3	261	31 20
1		A o	5	48	41	4	348	41 47
2	P. B.	M o	12	22	36	5	75	52 14
3		M o	6	33	54	6	163	2 41
						7	250	13 8
1		M o	18	11	18	8	337	23 35
2		M o	12	22	36	9	64	34 2
3	P. B.	M o	6	33	54	10	151	44 29
1						20	303	28 58
2						30	95	13 27
3	B.	A o	5	48	41	40	246	57 56
4		A o	11	37	23	50	38	42 25
5		A o	17	26	6	60	190	26 54
6		M o	0	45	12	70	342	11 23
7		M o	1	30	25	80	133	55 52
8		M o	2	15	38	90	285	40 21
11		M o	3	0	51	100	77	14 51
16		M o	3	46	4	200	154	49 42
20		M o	7	32	8	300	232	14 33
40		M o	11	18	12	400	309	39 24
60		M o	15	4	16	500	27	4 15
80		M o	18	50	20	1000	54	8 31
100		M 1	13	40	40	2000	108	17 2
200		M 2	8	31	1	3000	162	25 34
300		M 3	3	21	20	4000	216	34 5
400		M 3	22	11	41	5000	270	42 36
500		M 3	22	11	41	10000	181	25 13
1000		M 7	20	23	25			
2000		M 15	16	46	51			
3000		M 23	13	10	17			
4000		M 31	9	33	43			
5000		M 39	5	57	9			
10000		M 78	11	54	19			

Modus autem operandi is est in tertia exempli causa suppositarum geniturarū. Cum mortuus sit anno 1481. accipio annos 83. cum quibus inuenio primo ex 80. horas 15. mi. 4. sec. 16. minuenda, & quia ultra annos 80. super sunt 3. & annus genituræ est 1398. qui est secundus post bisextum, in tabula parua, ubi P. B. est in directo 2. quæro annos tres, qui sunt ultra assumptos 80. è directo, quorum inuenio minuendas ho. 6. mi. 33. secun. 54. quas addo ad horas præcedentes, quia ambæ minuendæ: sient igitur ho. 21. mi. 38. sec. 10. auferenda unde tempus reuolutionis erit die 24. Iulij 1481. ho. 2. mi. 22. post ortum Solis. Et similiter in tabula ascendensium annorum, inuenio partes 133. mi. 55. sec. 52. in directo annorum 80. at in directo annorum 3. par. 261. mi. 31. secun. 20. iungo, sicut par. 35. min. 27. secun. 12. addenda ascensionis ascendens.

Exemplum in quarta figura. Volo reuolutionem anni 1524. & est 79. annorum, inuenio in directo annorum 60. hor. 11. mi. 18. ho. 3. mi. 0. sec. 51. minuenda. Et quia annus genituræ 1445. est primus post bisextum, quæro in tabula, ubi P. B. est in directo 3. & ibi quæro annos tres, qui deficient ad complementum annorum 79. & inuenio

minuendas ho. 6. mi. 33. sec. 54. iungo omnia, & sicut ho. 20. m. 52. se. 57. minuenda à tempore ortus: unde cadet tempus in decima quintam Iulij, ho. 5. mi. 33. ante meridiem. Et similiter in tabula ascendensium annorum, inuenio è directo annorum 9. partes 64. mi. 34. sec. 2. quas iungo simul (nam partes huius tabulæ semper adduntur) sicut part. 46. mi. 45. secun. 25. Arcus autem ex æquatore ascendenti correspondens erat in nostra regione partes 79. mi. 12. cui si addantur partes 46. mi. 45. sicut partes 125. minut. 57. quibus initium 10. partis leonis correspondet.

Et similiter in quinta genitura. Volo reuolutionem anni 1537. in quo vita functus est, in directo annorum 4. accipio ho. 7. mi. 3. sec. 8. minuenda, & quia 1495. annus genituræ, est tertius post bisextum, in tabula ubi P. B. in directo 3. ponitur: quæro deficientes annos à 42. qui sunt 2. è quorum directo minuendas inuenio horas 12. mi. 22. secun. 36. quæ additæ præcedentibus, aggregant hor. 29. mi. 54. sec. 44. minuendas ex proposito genituræ tempore. Et similiter in reliqua tabula, è directo annorum 40. inuenio partes 246. mi. 57. sec. 56. & è directo annorum 2. partes 174. mi. 20. secun. 53. quæ iuncta, faciunt partes 61. mi. 18. sec. 49. qui-

bus si addantur ascendenti partes, sicut haec 140. mi. 30. è quorum directio prima virginis pars ex ecliptica coascendit: in qua corporaliter tunc Saturni corpus, ut posterus emendabitur, residebat. Vnde eo anno directione cooperante, mortuus est violentissima cmoproto.

His visis, non abs re erit, videre an Christi conceptio in æquinoctio fuerit. Nam cum Christus conceptus fuerit annis 132. ante Ptolemæi primam æquinoctij observationem, fiet vt introitus Solis eo anno in punctum vernalis æquinoctij fuerit die 22. Martij, hor. sec. 2. mi. 520. post meridiem: nam ex tabula præcedenti veniunt ex annis 132. retrospectis, addendi dies 1. ho. 0. m. 52. se. 2. Nam sicut tabula ex addito tempore detrahere docet, ita ex adempto addere: nam hic mos est communis omnibus tabulis, vt ex contraria assumptione, contrarium indicent operationem.

Fuit igitur æquinoctium iuxta vesperam vigesima secunda diei Martij: verum conceptus est Christus die 24. completa, ita vt tunc Sol in initio tertiæ partis arietis foret. Vnde proxima dies ad exactam rationem in scriptura deducitur, veluti cum de Iona propheta loquitur, quod in ventre Coeti tribus diebus mansurus foret, Christus tamen in monumento particeps tertiæ tantum diei mansit. Verum & alia ratio longe clarior est, nam antiqui æquinoctium non in vigesima secunda die, sed vigesima quinta Martij celebrabant: quoniam antiquorum æquinoctium ex Hipparchi ratione sumptum fuerat qui cum anterior esset Christo annis 156. æquinoctium verum, vt etiam ex tabula patet, vigesima quinta Martij constituit. Vnde Plinius lib. 18. capite ad vigesimo quinto ad trigessimum quartum, & Paulus Medicus libro 1. cap. 100. ex Diocle, die vigesima quinta Decembris brumam quam solstitium nostri hyemale vocant, statimere. Hanc enim Hipparchi sententiam, & Archimedes secuti sunt, cum ratio Cæsaris exacta putaretur, nec diligentiore emendatione, vti possent. Vnde cum Christus æquinoctij verni die conceptus sit, & brumam natum, maiorem fidem prophetia tribuit non obscure enim de æquinoctio, quod plurimos latere, potuisset, Propheta locutus est, sed de æquinoctij die, qui omnibus, vt nunc festum natalis, notus erat.

Secundum Ptolemaum.

Abis Saturni, Scorpij.	14	10
Abis Iouis, Virginis.	2	9
Abis Martis, Cancr.	16	40
Abis Solis, Geminorum.	5	30
Abis Venæris, Tauri.	16	10
Abis Mercurij, Libræ.	1	10

describuntur, in tempore Nabuchodonosoris, suas exactius computatas volens ad idem referre principium, ex supposita Ptolemæi

C A P V T VI.

Cur Ptolemaus non existimauit absidem Solis moueri.

CAusa suppositionum eccentricitatis differentium Planætarum tres sunt. Vna quidem, quoniam planæta modò altior videtur, modò humilior: hoc autem non tantum ex ipsa corporis magnitudine, verum ex eclipsis eius luminaribus deprehenditur. Altera, quoniam in superiore parte tardius mouetur planæta, in inferiore velocius. Tertia, quoniam in his, qui in epicyclo constituuntur, maximam æquationem augeri necesse est, cum epicyclus maximè terræ propinquior sit: minui autem eo magis, quo etiam magis elongatur ab ipsa. Hæc igitur cum ita sint, necesse est paruum motum absidis differentiam duabus causis primis latere: nam quæ ad eclipses solares colligitur variatio, nullo modo ob titubationem eclipsis & magnitudinem luminis deprehendi potest. In lunaribus autem vmbra magnitudo, in gradibus, ab abside, aut parum, aut nihil variatur. Vnde ex hæc causa in Sole motus absidis minime probari potest; at nec ex motu, siquidem certitudo loci Solis ex instrumentis non potest admodum esse præcisa. Motus autem absidis Solis per partes tantum quinque nullam potest parere differentiam sensibilem aspectui nostro: nec in Sole epicyclus ultra eccentricum poni debet, vnde nulla maxima æquationis differentia accedere potest. Manifestum est igitur, cum Ptolemaus obseruationes solis annorum 500. tantum habuerit, non potuisse demonstrare absidem Solis moueri: at non deicit virum tam egregium in Mathematicis ea supponere, quæ nec demonstrari poterant, nec aliqua sensus euentus confirmari. In reliquis autem Planætis, cum quia maior præcisio motus eorum haberi poterat, per suppositionem ad Solem, omnis & stellæ distantia quidem exactissime notaretur, & si radius, ita enim vocant suppositum ab initio locum quendam, minus exactissime haberetur: tum quia elongationis diuersitas, quæ ad minimam, quamcumque ab abside differentiam, sic latere non potest. His igitur causis, motum absidis in reliquis Planætis Ptolemaus non tantum inuenit, verum & demonstrant: in Sole autem neque inuenire, sed etiam demonstrare potuit. Alphonsus vero suppositas ab initio Ptolemæi radices absidum videns, quales hæc

Secundum Alphonsum. Differentia.

Scorpij.	17	54	3	44	ma.
Leonis.	28	7	4	11	ma.
Cancr.	19	43	3	15	ma.
Gemini.	5	56	6	16	ma.
Gemini.	5	56	19	26	ma.
Libræ.	5	10	4	0	ma.

ratione & euentibus naturalibus æquationibus eundem motum quem & fixis stellis statuerat, absidibus tribuit. Inuenit autem centro

centro epicicli Veneris iuxta extremam sagittarij partem existente, maiorem accidere quam Ptolemæus posuisset, elongationem maximam partium quidem 49. mi. 32. vnde alio loco Veneris absidem etiam transferre coactus est, iuxta quod punctum, ex supposito Solis motu, licet non præcisè, cum Solis absidem esse cognosceret. Propterea, quod neque præcisionem exactam assequi omnino poterat, nec à verisimili ratione alienum videbatur Veneris, quæ multum cum Sole convenit motu medio, cum differentem locum sensibilibiter in abside non haberet, eandem statere, iuxta quandam coniecturam probabilem, absidis Solis locum iuxta postremam geminorum partem transtulit ut eadem cum illa Veneris esset, nec minus Ptolemæi supposito coadiuvante, qui cum Nabuchodonosoris tempore Solis absidem ad 5. geminorum partem collocaverit, fueritque Nabuchonosor Alphonso prior annis 1998. diebusque 96. quo in tempore octavæ motu ad locum absidis Veneris, Solis absis transfertur. Vtrogue igitur modo, tum ratione, tum experientia, & Solis absidem mobilem posuit, & eandem ad absidem Veneris tradidit: & in 1119. annis, dieb. 249. quibus posterior prima observatione Ptolemæi Alphonso radix fuit, motum absidis ferme 23. partium coactus est ponere, nec tamen cuiquam repugnans rationi, cum Ptolemæi suppositum, per quod immobilis Solis absis derelinquebatur, experientia fuisset reprobatum.

CAPUT VII.

De causa erroris Ptolemæi in motu

Luna.

Initium igitur faciamus à Solis motu, qui secundum suppositas iam demonstrationes velocior ab Alphonso supponitur diebus singulis terribi quæ 24. qui. 6. sec. 42. quam à Ptolemæo: vnde cum ad posteriora tempora Alphonso etiam radices firmare voluisset, singulis 4. annis rui, 1. secundaque 43. ut in posteriore tempore addere, ita in præterito admittere cogebatur: tantus enim erat his annis Solis progressus: ultra perfectos circulos verum à Ptolemæo transgressus hic secum 47. annum ponitur: Superabat igitur Alphonso motus eum, qui à Ptolemæo positus fuerat in annis quatuor & minutis secundis 38. ut vero in annis 878. quibus Nabuchodonosor Ptolemæum antecessit, quadruplie annis sunt 219. enim dimidio, qui ducti in secum 8. producant mini 212. secum 27. Partes igitur 3. mis. sec. 21. quibus ablatis ex Ptolemæi radice, in qua Sol ponebatur in parte 43. primæ partis plicium, terminabatur Alphonso radix solaris in parte. 27. mi. 13. atque i. Verum posuit in parte. 27. mi. 48. atque i. quod ex errore factum est, ut 3. minutis discreper: aut forsitan, qui librum etiam suscepit, emendam hanc addecit. Non enim raro in bibliopolarum vitio, aut non intelligentium temeritate, multa adijci-

untur adimunturque, quæ præter auctoris sententiam fuere: quemadmodum in Alphonso accidit. Cum enim stellarum loca verificata instrumentis ædidisset, annis post Christum. 1251. diebus. 152. quo tempore Alphonso Era, (sic enim initium cuiuscunque regni appellavit) constituebatur, quidam perperam motum octavæ spheræ adiecit, partium. 17. mi. 13. sec. 33. quasi ille motus loco fixarum Ptolemæi foret adiciendus, cum tamen Ptolemæus Christo iam fit posterior annis. 142. Quare non tantus fixis stellis motus debebatur, sed minor partibus 2. mi. 1. sec. 32. Vnde impossibile fuisset, aut radicem Ptolemæi suppositam ab Alphonso, aut stellas ad descripta loca pervenisse. Cum igitur Alphonso temporum suorum loca describere vellet, non ex assumpta radice Ptolemæi, quoniam verificare impossibile fuit, sed ex instrumentis loca stellarum accepit, præcedentibus aut temporibus (etsi ex data suppositione stellas fixas aliis locis consistere necessarium foret, quam à Ptolemæo positæ fuissent) nihil minus Alphonso id curæ non debuit esse, quam doquidem non hominem clarum arguere propositum erat, verum veritatem inquirere: quod si quis cum reprehendere conetur, quod non secundum temporis differentiam, inter suas Ptolemæique observationes motum octavæ statuerit, Alphonso diceret non exactam fuisse fixarum stellarum observationem: quoniam neque motu, qui nondum exquisitè inuentus fuerat, nec instrumentis, quæ minus exacta erant, apud Ptolemæum (ut Heber Hispanus testatur) locus illarum tunc deprehendi poterat, verum longa observatione didicisse motum fixarum duplici illa ratione contineri, quæ prius in tabulis fuerat descripta, quod etiam ex nostris observationibus demonstratur. Siquidem constat iis nunc locis stellas videri, ad quæ ex tabularum supputatione pervenissent. Quod vix fieri potuit, nisi radix illa verificationis supponeretur, tabulæ quæ ipsa veritatem continerent. Nam si duabus partibus fuissent posteriores, non potuisset fieri, ut in. 1400. annis, quibus nos Ptolemæo sumus posteriores, stellæ per 27. partes processissent.

Simili ferme causa, in codicibus variis Ptolemæi perperam regnorum differentia adiecta sunt. Nam inter Philippum & Alexandrum anni. 12. menses. 6. dies. 9. numerantur: cum ex Alphonso sint anni. 11. menses. 70. dies. 27. ad rationem Aegyptiorum. Sic & à Nabuchodonosor ad Alexandri mortem, anni. 436. numerantur ex opinione Alphonso: cum tamen manifestum sit eos tantum à Ptolemæo positos 424. ita ut annum eundem, quem Ptolemæus morti Alexandri ascripserat, decepti rudes correctores in melius emendare existimantes, Philippi nec attribuerent, Alphonsum aliam opinionem tenentem sequuti, Ioannes autem Lucidus existimat Alphonsum fuisse Albategni opinionem secutum, qui Alexandri mortem 12. annis posteriorem fecit quam Ptolemæus: sed nec ipse videtur quæsito satisfacere, cum 324. annum ante Christum, quo

Alexander mortuus fuit, secundum Ptolemæum nonum annum regni Alexandri faciat, ita ut tribus etiam annis mortem Alexandri dilaret, totidem etiam annis vniuersam temporum seriem posteriorem faciat.

Nunc igitur tandem ad constitutam rationem accedamus, in qua supponendum est, quod quarto magnæ compositionis capitulo septimo à Ptolemæo scribitur, tres lunares eclipses in annos septemdecim Adriani obseruatas, posteriores fuisse primo anno Mardocepadis regis Babyloniorum, annis Ægyptiis 854. At superius demonstratum erat, Nabuchodonosorem antecessisse decimum septimum Adriani annum 879. Ægyptiis annis. Vnde colligitur initium regni Mardocepadis fuisse anno 26. à regno Nabuchodonosoris: totidem autem annis cum Mardocepadus posterior sit Dario rege Persarum, manifestum erit eodem anno Nabuchodonosorem in Babylonia, & Darium in Perside regnare cœpisse, nisi vnus atque idem Nabuchodonosor & Darius fuisse credatur. Sit igitur æqualis motus Lunæ Ptolemæi, ex hac temporum differentia cognitus, in die par. 13. mi. 10. sec. 34. tert. 58. quar. 33. quin. 30. At Alphonso diligentius inquirens, inuenit motum in die par. 13. minut. 10. secun. 35. ter. 1. quar. 15. quin. 11. Ex quibus in Ægyptij anni quantitate, qui 365. diebus constat, motus à Ptolemæo quidem supponebatur par. 129. mi. 22. secun. 46. ter. 13. quar. 50. quin. 32. ab Alphonso autem inuentus par. 129. mi. 23. sec. 2. ter. 37. quar. 22. quin. 22. Fuit autem inter Alphonsum & Nabuchodonosorem spacium Ægyptiorum annorum 1999. dierumque 230. vnde & motus à Ptolemæo colligeretur vltra exactas circulationes (sic enim semper intelligitur) par. 300. mi. 12. secun. 20. fermè: ab Alphonso autem p. 309. mi. 18. secun. 38. fermè. Quamobrem motus differentia partes habuit 9. minu. 6. secun. 18. quibus Alphonso motus velocior ponitur quàm existimauit Ptolemæus. Verum hac supputatione facta Alphonso tempore, supposita radice Ptolemæi in tempore Nabuchodonosoris, in par. 11. min. 22. tauri, perueniebat Luna ad 20. partes, minutaque 40. piscium: additis enim partibus 309. minutis 18. ad radicem Ptolemæi, cadit locus Lunæ æqualis sine mediis, ad locum iam dictum. Inuentus autem ab Alphonso tunc in partibus 6. minutis 5. piscium, tantum occasionem dedit, ut motum Lunæ eam differentiam implere non posse cognosceret: quippe qui tantum notem partium (ut dictum est) fuit, & sex minorum. Hæc autem differentia fuerat partium 14. mi. 35. propterea coactus videtur fuisse, per easdem partes 14. mi. 35. radicem Ptolemæi retrahere, quo fit, ut cum detraxeris partes 14. mi. 35. ex partibus 11. mi. 22. tauri, quo in loco Lunæ motus æqualis existimabatur, remansit locus ipse in partibus 26. mi. 47. præcise ipse arietis. Quamobrem & eo loco, Nabuchodonosoris tempore, Lunæ radix ab Alphonso est constituta: nam locum ipsum ex instrumento Alphonso collegit, motum

ex tempore, quod inter deliqua Ptolemæi & Alphonso fluxerat, tanquam emendatiora accepit. Quæ cum à prædecessoribus Ptolemæus habere non poterit ea diligentia, non mirum est si Lunæ motum tardiores quàm debebat, in anno 16. secun. & 24. fermè tertiis descripserit: quæ particula, etsi parua sit, in 2000. tamen annis, quibus quasi Alphonso radice Nabuchodonosoris posterior fuit, partes (ut dictum est) notem implet. Porro non tantus error ex Ptolemæi tabula accessisset: nam ad partes 11. mi. 34. piscium, tantum locus Lunæ procedit, quamobrem Alphonso loco partibus tantum 5. minutis 29. posterior est. Motum igitur velociorem partibus 9. minu. 6. Alphonso videns, locum autem anteriorem quàm secundum Ptolemæum, inueniens par. 5. mi. 29. fermè, cum posterior ob motus velocitatem debuisset esse eo, qui à tabulis Ptolemæi supputabatur, coactus est, iunctis vtrisque differentiis, & motum velociorem partibus 9. mi. 6. tantum, & locorum differentiam part. 14. mi. 35. his quæ à Ptolemæo posita erant posteriorem constituere. Cur verò differentia illa par. 5. minu. 29. vltra motum acciderit, inferius exponam, nam quandam erroris Alphonso fallam imaginem præferre possit.

C A P V T V I I I.

De causa erroris motus Saturni, & Martis.

ERit autem denno repetenda rationis motuum cœlestium, ac verificationis eorum. Principium enim omnium simplicissimum esse conuenit. Motus vero Solis simplicissimus est, vnde ab ipso reliquarum omnium stellarum cursus habebitur. Emendari autem Solis motus à seipso per instrumenta & debet & potest: aliorum autem ad Solem tanta est conuenientia, ut neque ab eo temere digredi, nec sine illo cognosci possunt.

Triplex autem Planetarum ad Solem obseruatio habebitur. Prima, quoniam vbi eclipica sit, vbi æquinoctij orbem secet, quantum ab eo maxime recedat, vbi arietis ac signorum principum exoriantur, à Sole tantum captari potest: porro hæc omnia videntur ad omnium stellarum longitudes, latitudes, ortus, circuitusque habendos necessaria. Relinquitur igitur, vniuersorum astrorum latitudes ac situs ex Solis ratione exactissima constare.

Altera autem planetarum superiorum ad Solis motus necessitas ex hoc probatur: nam quantum planeta ab abside media sui parui orbis distiterit, tantum æqualis motus centri eiusdem parui orbis linea, ab æqualis motus Solis linea distat. Vnde fit, ut in medio planetæ cum Sole coita, ipse planeta in media abside parui circuli sit: quapropter etiam, ut velocissime tunc feratur necesse est. Cum autem in Solis opposito, media parui orbis linea fuerit, tunc & in eiusdem parui orbis imo planetæ corpus situabitur: quare & tunc maxime

xime retrocedet, ac contra signorum ordinem mouebitur. Cum autem longitudines mediæ (sic enim appellant puncta, retrocessum & progressum planetæ in paruo orbe distinguunt) à media abside fermè 120. partibus distent vtriusque 60. autem ab imo, conuenit vt cum planeta à Sole per trinos radios distiterit, etiam in suo orbe paruo (epiciclum à græco nomine vocant) iuxta longitudines medias sit. Vnde cum genituram quampiam inspexerimus, non erit in superioribus planetis extemplo difficile sola loci Solis cõsideratione habita diiudicare, an Planeta directus sit, an retrocedens, auctus numero, motu vel lumine, vel diminutus, nam cum à planeta Sol recedit, ad trigonum directus est, à trigono autem fermè transiens per oppositionem retrocedit: rursus vsque ad Solis coitum directus est, cum autem maior est motus verus medio, Hoc verò plerumque est à coniunctione Solis, cum Planeta ad oppositionem fertur, tunc auctus motu planeta dicitur, quanquam retrocedens: ab oppositione autem ad coniunctionem, diminutus, quamquam directus. Aucti autem numero dicuntur, quoties argumenti æquatio æquali motu addenda fuerit. Hoc vero contingit centro parui circuli, ab opposita abside eccentrici ad absidem progredienti. Porro ab abside ad oppositum si processerit, diminutus numero planeta est, quoniam æquatio minuitur. Cum autem Sol à superioribus distiterit partibus minus 180. tunc lumine aucti dicuntur, recedit enim Sol ab eis: si autem plus 180. partibus distat, quoniam accedit, diminuti lumine vocantur. Eccentricus igitur

numerum, paruus orbis lumen, vterque autem motus augmentum aut diminutionem ostendit.

Tertia autem ratio sic constat, quæ in nouo magnæ compositionis cap. 3. descripta est: quot reuolutiones facit planeta in eccentrico atque epiciclo, tot per se Sol facit in eccentrico. Exemplum igitur assumamus, Saturnus in annis 59. die vno, horisque 18. ex Ptolemæi ratione 57. reuolutiones in paruo circulo, at in proprio orbeduas perficit, tantumque plus quantum Sol ipse in 59. annis perambulat, in die vna horisque 18. superadditis: quamobrem 59. reuolutiones perficit, portiunculamque vterque pro die horisque superadditis, vnde cum æqualiter moueantur, tantam ex vtroque motu portionem à planeta eodem tempore pertransiri necessè est, quantum ab ipso Sole. Sic & in loue, cum in annis 71. diebus autem 4. ho. 21. min. 36. minus, 71. reuolutiones minus ea parte perficiantur, necesse erit 65. in paruo circulo, 6. autem in eccentrico perfici, detracta tamen parte quæ diebus 4. horisque 21. min. 36. correspondet. Similiter & in Marte, in annis 79. diebus 3. horis 5. minut. 12. in quibus epiciclus 37. reuolutiones perficit, eccentricus 42. vicibus reuoluitur, parte ea superaddita, quam Sol in diebus 3. horis 5. minutis 12. pertransibit: est autem partem 3. minu. 10. erit motus Solis quasi ex vtraque reuolutione Planetæ compositus. Supponuntur autem Saturni & Martis radices motuum, quales hic describuntur, tum eccentrici, tum epicicli: priores quidem medij, posteriores inæqualitatis appellata.

Secundum Ptolemeum.

Saturni me. mo.	26	46	Cap.
Inæqualitatis.	34	2	
Martis me. mo.	3	32	Ari.
Inæqualitatis.	32	13	

Secundum Alphonsum.

26	38	Cap.	9	8	mi.
31	10		2	52	mi.
3	2	Ari.	0	30	mi.
327	45		0	32	ma.

Differentia.

Saturni medius motus in anno Aegypcio à Ptolemæo ponitur par. 12. min. 13. secun. 23. ter. 56. quar. 30. quin. 30. ab Alphonso autem par. 12. mi. 13. secun. 34. ter. 42. quar. 30. quin. 28. Differentia igitur parte 0. min. 0. secun. 10. ter. 45. quar. 59. quin. 58. Martis æqualis motus in anno à Ptolemæo ponitur partium 191. minu. 16. secun. 54. ter. 27. quar. 38. quin. 35. sed & ab Alphonso sic par. 191. min. 17. secun. 5. ter. 13. quar. 50. quin. 0. differentia igitur erit in anno par. 0. mi. 0. sec. 10. ter. 46. quar. 11. quin. 25. Velocior igitur in vtroque Alphonsus, ac pariter ferè: nam vtraque superatio vix in anno secund. 10. ter. 46. implet. Per differentiam igitur metas Solis, aucta est velocitas tam in Saturno quam in Marte ab Alphonso, secun. 10. ter. 46. annis singulis: quamobrem ter. 646. Cum igitur diuiserimus tertias 216000. vnus partis per 646. exhibunt 334. & ferè tertia pars: qui numerus annorum est, quibus Saturnus aut Mars velocius procedit parte vna, secundum Alphonsi suppositionem, quam existimauerit Ptolemæus, cuius causam in Solis motu ali-

quis non perperam forsitan assignabit. Verum ad hoc ostendendum, primo supponemus duas vltimas Planetarum superiorum ad Solem habitudines, re ipsa vnã tantum esse, atque motum Solis, qui ab æquali planeta inæqualique componitur, diuersitatem in motu æquali necessarid parere: necnon diuersitas in retrogradatione Martis Heber Hispani erit explicanda. Similiter & obseruatio coniunctionis Martis & Saturni, in anno 1538. quamuis ob tempus nubilosum exacte haberi non potuerit: fiebat enim ante caudam leonis, quæ stella cum Veneria Saturniæque sit virtutis, multas noctes parit nebulosas & tempora turbida.

Primum igitur accipiamus, quod ex secunda suppositione patet, Planetam tantum ab abside media epicicli moueri, quantum medij motus Solis linea, à linea medij motus Planetæ elongatur. Necessarium igitur erit, vt cum Planeta ad absidem parui circuli reuerteretur, quod medij motus Solis linea totum peregerit circulum, atque vltra id, quantum Planeta suo proprio motu in eccentrico pertransiuit. Si igitur in 57. reuolutionibus,

exempli

exempli causa, Saturni planeta ipse ad eundem reuertatur punctum, erit vt Sol 57. reuoluit ones peregerit, atque id vltra, quantum planeta in eccentrico perambulauit: & fuit port o hac à Ptolemæo constituta, circulari nes duæ, pars una, minu. 45. Igitur constat Solem 59. reuolutiones peregerisse, partemque unam, min. 45. Constat igitur secundam & tertiam Solis cum Planeta concordam reuera unam tantum esse.

Ex hac patet duas confurgere proportiones. Alteram motuum æqualium ad Solis motum, nam quanto Sol uelocius mouebitur, eo magis erit necessarium motum æqualem augeri: nam epicicli motus per hoc non alteratur, nisi quod uelocior in reuolutione sit, Alia erit, inter æquam inæqualemque motum, qui ex utroque termino uariabitur. Supposuit autem Ptolemæus inæqualitatis motum in anno Saturni quidem par. 347. min. 32. secun. 0. ter. 48. quar. 50. quin. 38. Martis autem par. 168. minu. 28. secun. 30. ter. 7. quar. 4. quin. 32. Reuolutionem uero Saturni in anno 1. diebus 3. ho. 1. min. 14. Reuolutionem autem Martis, in annis 2. diebus 49. horis 22. minu. 31. Alphonfus autem motum in anno inæqualitatis Saturni, par. 347. mi. 32. secun. 4. ter. 39. quar. 31. Mar. uero, par. 168. minu. 28. secun. 34. ter. 8. quar. 11. Reuolutionem autem in paruo circulo Saturni quidem in anno 1. diebus 3. ho. 1. min. 12. Martis autem reuolutionem in annis 2. diebus 49. horis 22. minutis 23. Ioannes etiam Blanchinus inæqualitatem Saturni compleri existimat in anno uno, diebus. 3. horis 2. minutis 12. Martis autem in annis 2. diebus 49. horis 22. minutis 23. Ex quibus manifestum est, posse, quo ad medios inæqualitatis motus, procedere differentiam in tempore reuolutionis: nam si in omnibus 59 Solis reuolutionibus, cum aliqua parte superaddita Saturnus 57. perficit reuolutiones Igitur aucta illa temporis parte, tardior motus epicicli fiet, diminuta uelocior. Verum si ita sit, non erit impossibile ex unius aut duorum dierum differentia tantam aggregari quantitatem per plures reuolutiones, partes quibus Saturnus anterior est super.

Est igitur Saturni differentia, sec. 10. ter. 45. quar. 59. quin. 58. Martis, secun. 10. ter. 46. quar. 11. quin. 25. quibus in anno uelocius reuoluitur planeta apud Alphonsum, quam decreuerit Ptolemæus. Porro Alphonfi annus breuior est anno Ptolemæi. mi. 5. secun. 56. ter. 2. quar. 12. ferme unius horæ: in quo tempore, licet ex motu medio Saturnus tantum perficiat ter. 29. quar. 59. quin. 46. sex. 45. nihil minus, quod Sol in eo tempore perambula uerat secun. 14. ter. 43. quar. 28. quin. 46. sex. 50. reuersionem Saturni in epiciclo uelociorem statuebat. Mars autem eodem tempore pertransierat secun. 7. ter. 49. quar. 18. quin. 10. sex. 6. quare nec ipse sec. 10. ter. 46. attigit. Conuenit igitur, vt tum ex obseruationibus, tum ex Solis motu uelocior statuat motus Saturni & Martis apud Alphonsum, quam à Ptolemæo fuerit constitutus: nam vltra Solis differentiam, singulis annis Alphonfus celerioem motum Saturni constituit sec. 10.

ter. 16. quar. 0. quin. 11. Martis uero sec. 9. ter. 56. quar. 53. quin. 15. Ob hoc igitur minor in motu Martis, quam Saturni inuenitur est.

Est & in Marte erroris alia causa, cum epicicli centro in abside existente, retrogradationis dies numerentur 80. in mediis longitudinibus 73. in ima eccentrici parte 64. 1/2, vt duoedcimo magna compositionis cap. 8. scripsit Ptolemæus. At Heber lib. 8. capite penultimo inuenit demonstrationem, super quam Ptolemæus fundatur supponere epicicli centrum tanquam immobile: nam duplato arcu inter longitudinem propiorem visibilem, & punctum qui ab eo uocatur noctis extremitas, tempus retrogradationis uenatur, at euoluto eccentrico puncta illa uariari necesse est. Necessario igitur minor portio arcus retrogradationis in Marte euadet, atque id 9 dierum in utraque parte spacio minuit. Vnde sicut Saturnus anterior, & in paucioribus gradibus inuenitur, quam ponatur in tabulis: ita Mars posterior, atque in pluribus nulla facta in medio motu variatione apparebit.

Hæc quanquam ita sint, ex directionibus tum in genitura nostra pro morbis proque patris morte, tum in congressibus cum Sole pro temporum mutationibus, tum etiam in genituris pro aspectuum & stellarum significatis apparet Saturnum parum vel nihil saltem quandoque distare à loco, qui in Ephemeride ei ascribitur.

C A P V T. IX.

De emendatione motus Luna.

EST autem emendatio motus Luna: faciliior, quam vt existimari possit: nam cum motui, qui ab Alphonso positus est, tantum addiderimus, quantum est id in quo Solis motus noster, Alphonfi motu uelocior est, constituemus Luna: motum emendatum in die ac anno, non enim singulis reuolutionibus, sed ex tempore adicietur. Porro pars addenda, quoniam superatio Solaris motus superioris descripta est, neminem latere debet. Hoc autem licet nunc sit insensibile, in annis pluribus ad stellas habita ratione aperte dignoscetur. Cum autem stellas dicimus, 1022. tantum quæ in orbe continentur intelligimus quoniam de earum motu iam sermo plenior ab Alphonso habetur. Nec enim ignorandum est, plurimas alias cælo uix uisibiles contineri, quæ ultra prædictas 1022, infinitam ferme multitudinem complent, siue hæ octauo orbe contineantur, siue (vt quidam Aegyptij iactant (nono infixe sint: difficile enim est in nostra regione coniectari. Plures tamen certum est, & ex his euidetiores inter minimas tamen adnumeratas, etiam in ipso octauo orbe sitas esse: inter quas una media triu curus superius descripti, propinquissime adiacet. Non enim animaduersum est, à cæteris plane apparentibus, situm permutare uel um altiores aliquæ aliquæ minores cæteris sunt, siquidem & inter magnas etiam alia altiorē esse constat, cum tamen in eodem orbe

orbe sint: unde & quæ altiores sunt, frequentius titubant, veluti minor canis, vt in libro de Supplem. plenius differuimus.

CAPVT X.

*De emendatione motus Saturni
& Martis.*

Vtinam nobis ex superis aliquis reuelaret exactam motuum cœlestium vicissitudinem: at postquam id fieri minime contingit, tentabimus per proximiores accedere coniecturas. Quod si ex antiquis Ptolemæus scopum attingere visus fuerit, frustra ab eo digrediemur. Nam cum in anni initio 1539, quod obseruatio nostra antecessit. ter. 29. secun. 4. pri. 35. à radice Alphonfi computentur: quibus anni respondent Ægyptii 286. diesque 285. Ex quo fit, vt secundum Alphonfi institutum, Saturnus pergrauerit circulum nouies, atque insuper signa 4. partes 26. min. 16. secun. 14. ter. 16. quar. 8. Mars vero ultra exactos circuitus, signa 2. partes 16. min. 48. secun. 29. ter. 38. At in eodem tempore Ptolemæus Saturni motum statuatur, signa 4. par. 25 minut. 24. secun. 46. ter. 35. quar. 55. Martis autem 2. signa. 15. partes 57. minuti. 1. secun. 1. tert. 47. quar. Erit vt pro Samirno nobis sufficiat motum Ptolemæi accepisse, quoniam signa 4. partes 26. mi. 16. sec. 14. ter. 16. quar. 8. excedunt signa 4. partes 25. min. 24. sec. 46. ter. 35. quar. 55. in par. o. minutis 51. secun. 27. tert. 40. quar. 13.

Porrò in Marte, quoniam differentia Alphonfi à Ptolemæo videtur, par. o. mi. 51. secun. 28. atque eadem secundum signotum successiōnem. Idcirco cum eadem superatio sit in apparitionibus ferè, non proderunt Ptolemæi tabule, sed abbreviandus erit retrocessus: utpote stannemus dies 9. antè. ex prioribus progressionibus, totidem etiam aufereamus ex posterioribus. Vnde ex hac computatione fiet secundum successiōnem signorum, auctus à Ptolemæi loco quidem par. 2. mi. 40. ab Alphonso autem par. o. min. 50. ferè, sicut consentaneum est apparitionibus. Porrò cum processerit, minor est distantia visibilis loci ab eo, qui in tabulis computatur: minima vero in antecessiōne retrocessus, cum ad Solis oppositam se accingit. Quamobrem certius existimandum est, non ex aequali motu, sed ex inæqualitatis differentiam ipsam oriri.

CAPVT XI.

*De modo dirigendi Paridis Cæsarij
conuenientiore.*

Obseruauimus & in plusibus, ob dirigendi variam formam, pleraque secus in temporibus, quàm forent prædicta obtigisse: nec tamen ex hoc sperandum est, futurorum omniam scientiam definiiri. Pleraque enim sunt, quæ & si artem minime lædant,

artifices tamen egregie fallunt. E quibus, vsque ad tempora nostra, fuit stellarum fixarum incertia: sed & multa sunt generalia, quæ percipere non possumus, bella, inundationes, pestes, incendia, penuriæ, legum mutationes, principum casus naturæ. Illud vero maximum est, quod ea quæ nos tanquam minima negligimus, maximas habent causas, exortusque: contra, quæ maxima à nobis videntur, nec vestigium cœlestis nanciscuntur. Ob hæc igitur animi & corporis ornamenta, exigua quidem apud homines, egregia autem & maxima à conditore facta sunt, & potentissimis causis subiacent. Honores autem, dimitiæ, ac quodcumque labile est, & vna hora abduci potest, hominibus quidem non paruam pariunt admirationem: verum causas vix vllas habent cœlestes nisi maxima hæc sint & incomparabilia. Quamobrem si de eventibus fortunæ quæ iudicauerit ex genitura tantum, non secus ex interrogatiōne pronunciat: si vero de genitura, animi & corporis qualitates, nec non eorum passionibus pronunciauerit, aut ex reuolutionibus fortunam & gloriam, hic rectus erit iudex, modò tamen existimet in his, quæ generalia sunt, nullum firmum iudicium posse proferre. Vtinam aut mortales non ampliora exigent, quàm præstari queat, aut Astrologi non maiora pro vitibus pollicerentur. Sed importuna flagitatio vtrunque fallit, illum credendo, hunc audendo. Sed quid putat miser homuncio, quatuor millium aureorum, quos infinitis laboribus dolisque congeffit, aut gloriæ miseræ, quæ vtrique poena magis quàm gloria est, illi conscientia sceleratæ vitæ, alteri ob inuidiam, cœlum repletum esse prodigiis, cœlestes principatus non aliud cogitare, quàm quod huic aut illi per nefariam vitam dispendendæ diuitiæ tanquam in cloacam effundantur? Soltis animus cœlestis, atque huic corpus affinitate eximia iunctum est: tertia accedit, gloria bene actæ vitæ. Hæc tria à cœlo fontentur aut ministrantur: sordes & labes è terrenis emergunt. Quot fuerit Athenis prædiuites, ob neminem tamen præter Socratem pauperem, iniusta morte publicè mulctatum pestis inuasi? Innumera essent exempla, quibus probari possent, animi dignitatem præcipuam Deo, maximam Angelis, solam demonibus superisquæ potestatibus fuisse perspectam.

Cum igitur significatorem aliquem eligere vis, cum accipito, qui loci illius significantis partes anteriores corpore, vel radio occupet. Quod si duo sint, potior em elige, alium ne recusa: si nullus, non erit hic in illa conditione potens, sed magna ex parte etiam in necessario negotio vacabit. Porrò si infirmus significator extiterit, tristis erit illius conditio: quod si ad alienum signum radij anteriores ceciderint, non prohibebit. Nam illud obseruare oportebit, super quem locum aut radium primo significator ceciderit motu diurno: nam & aliqui Lunam, quod post genituram ingressa fuerit, signum obseruant, hoc tamen minime conuenit, siquidem diuersa ratio est.

In diuidendis autem domibus, meliorem adidit omnibus aliis obseruationem, eclipticam per æqualia secans, deductis ex eius polo circulis: par enim erat diuisionem circuli rectam fore, & per polos eisdem esse. Nec domorum diuisionem potius esse poterat: nam quemcumque ex tribus aliis modis amplexus fueris, non habebis in seruitutem vniuersis, & qui in gelida & qui feruida habitant regione. Quapropter cum cogeremur aliquem punctum in summa fortitudine existentem supponere, hic autem supra verticem necessario erat, visum est, vt punctus ille seorsum, quasi cœli cor poneretur, atque à diuerso contrarius sub terra: alia enim est ratio fortitudinis, alia significati.

Post hæc autem directiones constituit, promissorum quidem ad significatores in ascendente medietate: in corde quidem cœli, & imo, per rectam circulum: in ortu, per ascensionem regionis: medias autem in interpositis locis. In descendente vero parte vtriusque considerauit directionem, quemadmodum & Ptolemæus: verum quod plus obseruauit, inductio fuerat posterioris loci qui propinquior cordi cœli esset ad antecedentem, in successione signorum secundum loci præcedentis descensionem, loci oppositi ascensionibus cœquales. In his autem & stellas considerauit, & planetarum radios dextros ac sinistros. Vnde contingit, quod & à nobis iamdiu fuit inuentum, radios Planetarum dirigi, atque directo loco occurrere, maxime autem in occidentali parte.

In abscisionibus autem flammæ, non paruum directioni fidem tribuit: nobis autem visum est, sæpe etiam solam sufficere anni restitutionem, quando non sponte, sed quasi violenter homo moritur. Sæpe numero enim directionis anpus incolumis est, reuersionis perniciosus, & è contra, verum si ambo inciderint, non euadet. Summam autem pluribus ingeniis adhibuit diligentiam, ad firmandum genituræ tempus: frustra enim queritur, Quando quod futurum an sit necitur.

In particularibus autem Firmico indulget, ob bonorum authorum inopiam: verum tantum ille abest à veritate, quantum ab errore Ptolemæus.

In dignoscendis particularibus anni temporibus, multi multa varie ac dubie commenti sunt: verum & hic nixus est eandem formam seruare, vt ad exquisitam diem per directiones perueniret, at tamen nobis videtur illud ambiguum atque perplexum. Quapropter si ab ingressu Solis in punctum significatoris dies computauerimus, aut etiam significatoris alicuius, quotcunque fuerint ab eo ad primos radios eiusdem, aut condominantis in angulo genituræ partes, tot illos esse necesse est. Occultat autem promissa loci sub terra positio, & genituræ tempore, & ingressus, & hora coniunctionis aut oppositionis, quæ ingressum proxime præcedit: quod si non in angulis fuerint differetur, quod si significatores in angulis fuerint, Sol autem ceciderit cum anareta, aut significator e loco, non perficietur promissum,

aut tarde, succedentibus reuersionibus aut nouiluniis, quibus in angulis anareta locus in aspectu sit luminarium: nam & Luna, cum fortis fuerit, in particularibus temporibus vices Solis obibit.

Infirmæ etiam geniturae per angulares reuersiones fortioribus æqui parantur, cum in illarum annuo reditu luminaria & significantores ab angulis remouentur.

CAPVT XII.

De præcognitione qualitatum aëris.

Planetis septem accidunt: Locus, motus, absis, comparatio ad Solem, latitudo, fixæ, & situs.

De loco, & latitudine.

Saturnus in ariete, significat aëris corruptionem, si sit borealis: si australis, frigoris magnitudinem. In tauro borealis præter stellas, siccitatem & tranquillitatem aëris: australis, corruptionem aëris. In geminis borealis, terræ motus facit & ventos: australis, corrumpit aërem, & calefacit ad tempus. In cancro borealis, auget aquas & pluuias: idem etiam australis, sed cum calore aëris. In leone calorem cum siccitate vrent, si borealis fuerit: si australis, dabit tempestates. In virgine borealis, aërem cum ventis salubrem pollicetur: australis exiccabit fontes. In libra siccitatem aëris & fontium si borealis, salubremque statum: australis, ventos suaves, & aëris bonam ostendit qualitatem. In scorpione pluuias multas, si borealis: australis, aquas, & aëris occultam quandam malitiam. In sagittario borealis niues facit & frigus: australis proximior est temperamento. In capricorno salubris est cum frigoris multitudine, si borealis extiterit: australis, multitudinem frigoris & aëris tenebrositatem. In aquario producit hyemem borealis, australis exiccabit flumina. In piscibus seu borealis seu australis, multitudinem ventorum declarat, detentius etiam si australis.

Jupiter in ariete borealis, aërem serenat: australis, ventos. In tauro siccitatem firmam præter stellas, seu borealis seu australis: In geminis si borealis, ventos ciet salubres: australis, tonitrua & fulgura. In cancro borealis, auget aquas, tonitrua cum fulminibus australis, tranquilliorum statum reddit. In leone borealis, tonitrua cum fulminibus: australis, siccitatem aëris. In virgine, pluuias multas aut ventos, si borealis: sed australis, pulchritudinem aëris. In libra, ventos multos & pluuias lenes borealis: australis pluuias copiosiores, & æstum. In scorpione borealis pluuias, & australis ventos & pluuias, non tamen multas. In sagittario paucitatem pluuiarum, & hyemem temperatam, vsque ad eius finem, in australi & boreali latitudine. In capricorno exiccatur

exiccet aërem & repentinas facit mutationes, si borealis extiterit: australis, tranquiliorem reddit statum, minuitque hyemem. In aquario borealis obtenebrat aërem: australis, facit tonitrua, & aquas. In piscibus borealis, aërem humidum reddit: australis etiam aquas præstat, Atque ut Saturnus duobus annis cum dimidio diiudicat: sic Iupiter anno, & Mars duobus mensibus, & Sol, Venus, ac Mercurius vno mense, & Luna duobus diebus & quarta.

Mars igitur in ariete borealis, calorem auget ac siccitatem: australis dat tonitrua & fulgura. In tauro borealis, ventos & tempestates atroces: australis vero minus asperas. In geminis borealis dat multitudinem pluuiarum: australis, aquarum paucitatem. In cancro borealis, aquas multas è cælo: australis, ventos & pluuias aliquas. In leone borealis & australis auget calorem & siccitatem, & facit fulgura, & grandines. In virgine corrumpit aërem, & quæ nutriuntur ex terra, facitque ventos cum siccitate, seu borealis seu australis. In libra borealis obtenebrat aërem, australis obscurat & fulmina facit. In scorpione borealis è cælo dat aquas, australis fulgura & siccitatem. In scorpione borealis è cælo dat aquas, australis fulgura & siccitatem. In sagittario borealis minuit hyemem augetque calorem: australis perturbat ad vices ipsum. In capricorno borealis facit niues, & australis obtenebrat aërem. In aquario borealis, frigora & niues: australis, aërem turbulentum. In piscibus borealis boritatem aëris significat: australis, pluuias paucas & lenes.

Sol in ariete, cancro, libra, & capricorno, manifestè tempora mutat: in tauro, leone, scorpione, & aquario retinet ea: in geminis, virgine, sagittario, & piscibus ambigua reddit.

Luna in cancro, scorpione & piscibus, & aquario imbres facit: in ariete, leone, & capricorno, siccitatem: in tauro & sagittario siccitatem cum repentinis mutationibus: in geminis & libra, ventos: in virgine, sævas tempestates.

Venus in ariete borealis, siccitatem: australis, lenes pluuias. In tauro, calefacit & pluuias reddit, borealis australis infrigidat, & pluuias auget. In geminis, ventorum & aëris salubritatem generat borealis, sed australis ventos vberiores præstat. In cancro scorpioneque auget aquas fontium & pluuias, australis vel borealis. In leone virgineque aërem temperat borealis, sed australis dat tonitrua & fulgura. In libra suauem reddit aërem, mitigatque malitiam Solis in eo signo existentis. In sagittario & capricorno, aërem humectat, minuitque niues, nisi Saturno copuletur corpore vel aspectu, tunc enim in niuibz fomentum subministrat. In aquario inducit ventos & pluuias. In piscibus, aërem serenat.

Mercurius in omni signo orientalis humectat, occidentalis exsiccat. Proprie in piscibus ventos & in geminis ciet, & in virgine ac libra aërem corrumpit.

Tom. V.

De fixarum & planetarum congressu.

Omnis Planeta, planetæ vel fixæ congregiendi simili in qualitatibus, aërem sub ea qualitate confirmat, dissimili autem mutat. Similes sunt, Sol, Iupiter, Mars, item Iupiter & Saturnus, item Luna & Venus, item Saturnus & Mercurius, item Sol & Mercurius, item Sol & Venus: dissimiles autem, Saturno Sol & Luna, Ioui Mercurius & Mars, Marti Venus & Luna, Soli Luna, Veneri Mercurius, Mercurio Luna. Cum igitur dissimiles sunt in actibus, sunt passiuus pluuiæ, & temporum varietates in calore & frigore: cum in passiuus, venti & aëris turbationes ac turbulentia: cum in vtroque tempestates. Exemplum, cum Luna corporaliter applicatur stellis de natura Mercurij, mouebit lenes ventos: & si de natura Martis, tonitrua.

De motu Planetarum.

Planetæ veloces motu, calorem augent: stantes autem, si calidi, calorem faciunt grauem, frigidi frigus, humidi augent pluuias, sicci exiccant. Retrogradi omnes infrigidant, aut minus calefaciunt, præter Iouem, cum auctus fuerit lumine in opposito Solis existens.

De absidibus.

Absidum mutationes ex Planetarum terminis ea faciunt quæ Planetæ. Velut absis Saturni in Saturni termino, siccitatem & frigiditatem auget, pestes, paucitatem frugum & animalium. Quanquam hoc magis ad absidem Solis pertineat: nam cum absis Solis fuerit in virgine, propter incommoda multa incipiet inhabitari pars australis, & borealis fiet inhabitabilis. Cum igitur mutatio est ex signo, maior sequetur aëris permutatio. Cum igitur Saturnus significet frigiditatem siccitatemque & tempora, Iupiter calorem humiditatemque, ventos ac aërem, & plantas omnes, Mars calorem cum siccitate, ignemque ac lapides. Sol calorem & temperamentum in humore, ac animalia omnia. Venus humidum & temperatum calorem, & vim germinandi in omnibus quæ viuunt, Mercurius siccitatem lenem, coagulationemque ac varietatem temporum. Luna aquas & humorem omnem, temperatunque calorem: manifestum est, quod etiam absides in vnoquoque loco significant. Verum planeta, cum in abside est, maiores effectus tardius operatur, in eius opposito celeriores minoresque, mediis in longitudinibus mediocres.

De comparatione Planetarum ad Solem.

Planeta cum discedit ab occultatione vsque ad oppositum Solis, auctus est lumine: ab oppositione ad occultationem, diminutus lumine: cum verus motus medium superat, auctus est motu cum minor est diminutus, cum retro agitur, retrogradus:

B cum

14 De temp & mot. errat. rest. Cap. XII.

cum sub Sole, combustus. Medij igitur motus planetarum, in die sunt hi, secundum Ptolemeum. Saturnus par. o. m. n. 2. Iupiter par. o. m. n. 5. Mars par. o. m. i. 31. Sol par. o. m. i. 59. sec. 8. quod idem in Venere & Mercurio. Luna par. i. 3. m. i. 10. Venus igitur & Mercurius cum sunt diminuti motu, & vadunt versus Solem, aut superiores, versus oppositum Solem, descendunt in paruo suo orbe, cum autem inferiores, recedunt à Sole, vel superiores, ab opposito ascendunt. Ex hoc itaque confurgunt quatuor modi. Auctus igitur lumine ac motu calefacit, & salubrem reddit aërem ac serenum: diminutus lumine & motu, inconstantem reddit aërem, infrigidat & humectat: diminutus lumine & auctus motu, exiccat multum & infrigidat parum: auctus lumine & diminutus motu, multum humectat, parumque calefacit.

De situ.

Planeta plures habet situs. Primo, quia vel est supra terram, vel infra, in angulo, in succedente vel cadente, in loco forti ab anni reuolutione mediocri vel debili, in loco forti à coniunctione cum altero planeta vel debili. Cum igitur fuerit supra terram, fortius operabitur, infra lenius in omni casu. Item super terram, auget calorem plusquam frigus: sub terra non est tantum discrimen. In angulo auget effectus, & qualitatem eius celeriter auget. Minus in succedenti, parum vel nihil in cadenti, ab omni reuolutione. Cum Sol æquinoctium facit, in locis quadratis & oppositis, fortior est. Si cadat in locum alterius planetæ, effectum eius imitabitur. Idem in vnoquoque mense, cum Luna Soli iungitur: nam tunc vide planetas; qui cum fixis aut aliis coeunt, maximè in angulis existentes. Cum ad eas fixas Luna peruenerit, proculdubio fixæ ac planetæ opus imitabitur: sic & reliquorum, sed obscurius. Concursus igitur in vnoquoque mensæ Lunæ cum Planetis est duplex, vnus ad corpus eius, alter ad stellam, quæ illi erat proxima hora nouilunii. Cùmque planeta aliquando in anno iungitur alteri planetæ, considera congressum radiorum vtriusque: nam si ceciderint in eodem loco, vel quadrato, vel opposito, à loco congressus accidet permutatio in qualitate aëris, secus non.

De eadem ratione in genituris.

Hæc eadem ferè in genituris considera, & reuolutionibus annorum. Nam cum hostiles planetæ per locum oppositum, aut quadratum significatoribus discurrerint, offendent rem quæ per significatores gubernatur: vt per septimum locum corpus, per Solis oppositum dignitatem, per Iouis oppositum substantiam, per Lunæ oppositum famam & actiones naturales. Et si fuerint amici ac beneuoli, erit contrarium: etsi directio bona sit, & discurrant inimici per locum oppositum significatori, non habebit donec præterierint, terminum totum illum, & interim erit in magno impedimento. Sic mihi Saturnus in leone obstabat, quoniam opponebatur angulo decimæ: quia tamen dominatur in aquario, non deturbauit me, etsi fuisset Iupiter in capricorno, & medium cæli cancer, obtinuissem: quia cum Iupiter cancro dominetur, est etiam planeta bonus. Et eodem modo in reuolutione anni considera, quo in loco sint Planetæ, & in hora coniunctionis genituram præcedentis, etsi ascendat locus fortunatus, illè habebit bonum in ea ciuitate & patria: etsi sit fortunatus locus respectu alterius loci, illè melius habebit in eo loco, quam in patria.

Et ideo hic esset necessaria cognitio initij vrbium: generaliter tamen intelligatur de annua Solis conuersione, quæ fit eo initium arietis grediente. Et non est possibile, vt effectus aliquis in hoc mundo fiat, vel in temporum mutationibus, vel in vitæ hominum cursu, vel fortuna, quin Sol aut Luna eadem hora, & horæ momento non sint in loco aliquo principali, significante effectum illum, vel connexo significatori eiusdem rei per radium ad vnguem oppositum, vel quadratum, nisi stella ei valde proxima impediatur: nam tunc luminare, cum illam attigerit, illicè perficit. Impossibile est etiam, planeta cum fixa corporaliter coeunte, si Luna ibi aspiciat, non illicè aëris qualitatem permutari. verum si in angulo fuerit, manifesta erit hæc permutatio: si in cadenti obscura. Ex his apertum est, sapientem multum utilitatis consequi posse ex hac scientia, velut ex Medicina, circa sanitatis conseruationem, & ex Nautica, circa nauis salutem, cum Astrologia sit vndequeque scientia naturalis.